

multa nova et curiosa, cum characteribus Plantarum genericis compendiosissimis, et characteribus Quadrupedum è dentibus, et synonymis Lapidum.

Sudat adhuc *Materia Medica*.

Tua de *Boum lue* pulcherrima dissertatio, in linguam Suecicam versa, jam omnium manibus teritur, et æstimatur ab omnibus.

Continuavi hanc æstate experimenta de pecorum plantis esculentis et non esculentis, opus, credo, ferè fundamentum totius œconomiae privatae, quæ vitam pastoriam concernit.

Hanc æstate examinavi flores, quando scilicet se in certis plantis aperiant, quandoque de die claudant; intellexi alios flores secundum horologium Turcicum aperiri et claudi, seu seriùs aperiri, prout dies abbreviatur et sic etiam claudi; alios autem constantem servare horam. Ità omnes dici horas possum absque horologio, etiam cælo nubo, indicare. Possum etiam certè prædicere, horam matutinam, num imber cadat eodem die, nisi sit è tonitru.

Inveni methodum quomodò omnes conchæ quas præparare licet, post 3 ad 5 annos ferant margaritas; habemus in nostrâ patriâ, conchas margaritiferas (*Fau. Suec.*, 1331) in nostris voraginibus, quas diffringunt nostrates, sæpè 2000 antequam